IOANNES CASIMIRVS

Dei Gratia REX Poloniae Magnus Dux Lithuaniae Russiae Prussiae Masoviae Samogitiae Livoniae Smolensciae Czerniechoviaeque necnon Suecorum Gothorum Vandalorumque haereditarius Rex

Significamus praesentibus literis Nostris quorum interest universis et Singulis. Quia Nos benigne annuentes supplicationi apud Nos factae nomine incolarum Villarum Zborowice Radziesow et Wolia Abbatiae Tynecensis literas pargameneas pro parte illorum coram Nobis authenticae reproductas tenoris eiusmodi. SIGISMUNDUS tertius Dei Gratia Rex Poloniae Magnus Dux Lithuaniae Russiae Prussiae Masoviae Samogitiae Livoniaeque necnon Suecorum Gottorum Vandalorumque haereditarius Rex. Significamus hisce literis Nostris Universis et Singulis quorum interest productas esse coram Nobis nomine incolarum Villarum Zborowice Radziesow et Wolia Abbatis et Monasterii Tynecensis literas papireas Serenissimi olim Stephani Regis Poloniae Antecessoris Nostri Sigillo Regni minori ac subscriptione Reverendi olim Ioannis Borukowski Episcopi Praemisliensis et Regni Poloniae Vicecancellarii munitas salvas sanas et integras, omnique suspicionis nota carentes Confirmationis cuiusdam Decreti per Serenissimum olim Sigismundum primum Regem Poloniae Avum Nostrum, inter eosdem Villarum supra recensitarum incolas et Venerabilem Andream Abbatem Tynecensem lati Vidimus continentes. Quas ut etiam authoritate Nostra Regia confirmare ratificare et approbare dignaremur, diligenter est Nobis supplicatum quarum literarum tenor de Verbo ad Verbum sequitur. STEPHANUS Dei Gratia Rex Poloniae Magnus Dux Lithuaniae Russiae Prussiae Masoviae Samogitiae Livoniae et Transylvaniae Princeps. Significamus hisce literis Nostris quibus expedit Universis et Singulis, Supplicatum esse Nobis nomine incolarum infracontentorum Zborowice Radziesow Wolia ad Tyniec et Skawina spectantium Abbatis Tynecensis ut literas inferius insertas in pargameneo scriptas manu propria subscriptas et sigillo Nostro communitas sanas et integras in forma ut vocant Vidimus extradi mandare dignaremur. quarum literarum de Verbo ad Verbum sequitur et est talis. STEPHANUS Dei Gratia Rex Poloniae Magnus Dux Lituaniae Russiae Prussiae Masoviae Samogitiae Livoniaeque et princeps Transylvaniae. Significamus praesentibus literis Nostris quorum interest Universis et singulis harum notitiam habituris. Productas fuisse apud Nos literas infrascriptas Serenissimi Antecessoris Nostri Regis Sigismundi primi sigillo eius pensili communitas salvas integras et non viciatas omnique prorsus suspicione carentes continentes in se certam ordinationem praestandorum laborum subditis et incolis Villarum Zborowice Radziesow et Wolia, aliarumque Villarum ad Tiniec et Skawina pertinentium. Quas quidem literas ut authoritate Nostra approbaremus et confirmaremus humiliter Nobis nomine praefatorum subditorum et incolarum est supplicatum. Tenor vero atque Verba literarum earundem hic sequuntur. SIGISMUNDUS Dei gratia Rex Poloniae Magnus Dux Lithuaniae Russiae Prussiae Masoviae etc. Dominus et haeres. Significamus tenore praesentium quibus expedit Universis, quia cum questi fuissent, coram Nobis incolae Villarum Zborowice Radziesow et Wolia aliarumque Villarum Venerabilis Andreae Abbatis Tynecensis ad Thyniec et Skawina pertinentium quod Abbas ipse seu Officiales sui astringerent illos ad onera et labores insolitos obeundos contra consuetudinem eorum antiquam, Nos auditis partium propositionibus et responsis decrevimus et decernimus ut ipsi incolae Villarum praefatarum ad Tyniec et Skawina spectantium aliarumque omnium Villarum praenominati Abbatis Tynecensis non privilegiatarum quos habet [illegible] fore exemptos, non astringantur ad maiores labores obeundos nisi ad laborandum unam diem in qualibet septimana iuxta laudum et Decretum conventus [illegible] ita videlicet ut labores quoque quos Nobis etiam praestare sunt obligati transeant et computentur illis in eiusmodi diem septimanalem per omnes laborandam. Volumus autem et tenere praecipimus eisdem incolis omnium Villarum praefatarum Abbatis Tynecensis ut non alium verum et immediatum Dominum suum esse recognoscant quam ipsum Abbatem Tynecensem, ergo in omnibus ut subditos decet subsint et obsequantur. Harum quibus Sigillum Nostrum est appensum testimonio Literarum. Datum Cracoviae Sabbato ante festum Sanctae Trinitatis. Anno Domini Millesimo Quingentesimo Trigesimo primo Regni Nostri anno Vigesimo quinto. Petrus Episcopus et Vicecancellarius. Reverendo Reverendi in Christo Patris Domini Petri Episcopi Cracoviensis et Regni Poloniae Vicecancellarii. Nos igitur Stephanus Rex admissa benigne et clementer Supplicatione illa, cuius superius est facta mentio literas easdem Serenissimi antecessoris Nostri hic insertas quatenus illae Usu continuo sunt comprobatae et quatenus iuris publici ratio permittit et si decretis revisorum non repugnant, approbandas et confirmandas esse duximus, quemadmodum approbamus confirmamus et ratificamus, praesentibus literis Nostris Decernentes eas et quidquid in illis continetur robur debitum ac perpetuum obtinere debere, ipsosque incolas praefatarum Villarum ordinatione hac ratione praestandorum laborum, prout in hisce literis est praescripta et circa quam antecessores sui Abbates Tynecenses memoratos incolas antiquitus conservabant et eadem gaudebant in eius quoque usu vel possessione pacifica et continua per modernum Abbatem Tynecensem et pro tempore futurum conservari aequum est. in posterum quoque ac in perpetuum tempus ordinatione supradicta incolas praefatarum Villarum omnes et singulos uti et gaudere possessioneque eius frui ac potiri debere decernimus. In quorum omnium fidem et evidentius testimonium hasce manu Nostra subscripsimus Sigilloque Regni communiri mandavimus. Datum Cracoviae die Trigesima Mensis Maii Anno Domini MDLXXXX tertio Regni Nostri Octavo. Quas quidem literas hic superius insertas Vidimus et inspeximus ac ad huiusmodi Supplicationem ut iustam Nobis factam in forma ut vocant Vidimus extradi mandavimus. Quibus porro non aliter acsi originalibus ipsis fidem ab omnibus indubiam adhiberi esse volumus. In cuius Rei fidem praesentibus sigillum Nostrum [illegible] appensum. Datum Cracoviae die XXII. Mensis Junii Anno Domini MDLXXXXIII Regni Nostri Octavo. Reverendo Reverendi in Christo Patris Domini Ioannis Borukowski de Bilino Episcopi Praemisliensis Regni Poloniae Vicecancellarii [illegible] Lanciciensis Praepositi Ioannes B[illegible] Vicecancellarius manu propria. Nos itaque Sigismundus Rex. Supplicationis Suius ut iusta ratione habita literas praeinsertas et quae in illis continentur confirmandas ratificandas et approbandas esse duximus, confirmamusque ratificamus et approbamus hisce literis Nostris, decernentes ea in omnibus [illegible] punctis clausulis conditionibus et articulis vim et robur iustum et debitum quantum iuris publici ratio permittit obtinere debere. In cuius rei fidem praesentibus manu Nostra subscriptis Regni Sigillum appendi iussimus. Datum Cracoviae in conventu Regni Generali die [illegible] Mensis Martii Anno Domini Millesimo Quingentesimo Nonagesimo quinto Regnorum Nostrorum Poloniae Octavo Sueciae [illegible]. Sigismundus Rex L.S. [illegible] S.M. et Refer: [illegible] Cum Supplicationi Suis benigne annuentes praeinsertas literas sicut in se continentur approbandas et confirmandas [illegible] sicut approbamus et confirmamus [illegible] in quantum [illegible] est decernentes easdem vim et robur perpetuae firmitatis obtinere debere. In cuius rei fidem praesentes manu Nostra subscriptas Sigillo Regni communiri iussimus. Datum Cracoviae die XV Mensis Septembris Anno Domini MDCLVIII Regnorum Nostrorum Poloniae IX Sueciae X Anno.

Ioannes Casimirus Rex

Confirmatio Confirmationum Decreti inter Subditos Villarum Zborowice Radziesow Wola et Abbatem Tynecensem lati.

[illegible]

50